

Q. F. F. Q. S.

EXERCITIUM ACADEMICUM,

De

CONVENIENTIA ET DIFFERENTIA MIRACULI ET MYSTERII,

QUOD

Consentiente Ampliss. Facult. Philosoph.

In Reg. Acad. Aboënsi,

Sub PRÆSIDIO

VIRI Maxime Reverendi & Celeberrimi

D_{N.} M_{AG.} CAROLI MESTERTON,

Log. & Metaph. PROFESS. Reg. & Ord.

Publico bonorum examini subjicit

STIPENDIARIUS REGIUS

PETRUS ASPMAN,

Westmannus.

In Auditorio Max. ad diem XV. Dec. MDCCCL.

Horis, ante meridiem solitis.

ABOÆ, imprim. Direct. Reg. Acad. Aboëns. Officin.

Typogr. JACOB MERCKELL.

S:æ R:æ M:tis
MAGNÆ FIDEI VIRO,
Reverendissimo PRÆSULI ac DOMINO,

DN. JOHANNI
BROWALLIO,

S. S. Theol. DOCTORI longe Celeberrimo, Inclutæ
Dioceſeos ABOENSIS EPISCOPO Emiſtissimo, RE-
GIAE ACADEMIÆ ejusdem PRO CANCELARIO Magni-
ſcientissimo Scholarumque per dioceſin EPHORO
accuratissimo,

MÆCENATI MAXMO,

Multa gravesque cauſa me, REVERENDISSIME
PRÆSUL, cum communes tum propriæ cum
aliis impellunt. ut grata aliqua ſignificatione,
ſummam in Te obſervantiam, teſtatam eſſe omni-
bus cupiam. Ex communibꝫ, præſertim bonum
reipublicæ literariae propius ſpectantibus, ſe offerunt
primum egregius Tuus in politiores literas amor,

ut

ut & singulare studium in bonorum conatibus
promovendis indefessum. Quod me attinet, in
parte religionis pono, tacendo potius magnitudi-
nem cumulumque beneficiorum TUORUM venerari,
quam vili oratione ac rudi voce prædicare, quo-
rum ne quidem partem me asequi posse scio. Su-
scipe igitur serena fronte, tennes has pagellas,
in venerabundi gratissimique animi signum, &
prout hoc usque benignissimo Tuo favore me
suffultum voluisti, ita porro post Deum fortu-
nam meam TIBI commendatisimam esse cupio.
Meum semper erit. ardentissima ad summum
Numen fundere vota, ut TE REVERENDISSIME
PRÆSUL in orbis literati, imprimis Patriæ, Eccle-
sia & Academiæ columen firmissimum, TUE
Nobilissime familia decus maximum clientumque
patrocinium, sospitem incoloremque in multa
lustra conservet

Reverendissimi Nominis
TUI

cultor devotissimus,
PETRUS ASPMAN.

VIRO

Admodum Reverendo & Praeclarissimo DOMINO,

MAG. OLAVO
ASPMAN,

PASTORI & PREPOSITO in Lindesberg longe meri-
tissimo,

PATRUO MEO OPTIMO. CARISSIMO.

Quoties animum subit recordatio beneficiorum mihi a Te
CARISSIME PATRUE collatorum, toties de demeren-
do despero. Ab eo enim tempore quo fata mihi a puer
sexenni sustulerunt parentem, dum vixerat, optimum, non
solum Auctor mihi fuisti, ut inter amoenitates hajce lite-
rarum detinerer, sed quod magis, nescio, an prolixiori ad-
fectu propendere in filium possit parens, quam PATRUO TUO
amore, curam impendisti Studiis meis. Quoties enim TU
illa sublevasti, erexitsti ac refecisti? In TE solo vitam cœ-
perunt suam, & in TE hic usque vixerunt. Penes me non
est tanta nec dictis exaequare, nec opere demereri; itaque
tanto calidiore pectore, TE, perpetuo obsequio, dum vi-
vam, venerari, nunquam gravabor. Tum & porro Di-
vini Numinis benignitatem quotidianis sollicitabo suspiriis,
velit TE, Carissime PATRUE natu jam grandiorem, assi-
duisque laboribus defatigatum clementi sua gratia corrobo-
rare omnique bonorum genere cumulare, ita ex animo dovet

PATRUI OPTIME

humillimus cultor,

PETRUS ASPMAN.

I. N. I.

S. I.

Totum Religionis Christianæ Systema ita co-
hærere, ut omnes veritates admirabili ne-
xu seinvicem lussulciant, una per alteram
quasi subsistat, adeo ut nihil sapientius ex-
cogitari possit illarum harmonia & conformitate,
est res non minus verissima quam clarissima. Sed
quis nescit, quot in Religionibus infidelium & in-
credulorum falsis, quæcunque demum sint, inve-
niantur confusa atque obscura, quæ se invicem e-
vertunt, clarissimis rationis principiis contradic-
cunt, neque naturæ Divinæ neque etiam humanæ
conformitia sunt. Rationi ignota non perspiciunt
Mortales, nec percipere possunt. Quot enim sunt
mirabilia, quæ perspicacissimi etiam hominis' inge-
nium fugiunt? Quot res existunt, quarum causæ
rationesque a nemine hominum, adhibitis licet o-
mnibus ingenii judiciique viribus indicari possunt?
Imo homo ne quidem semetipsum, quæque ut
præsentissima est ita notissima esse deberet, propri-
am animam cognoscit; quid igitur de aliarum re-
rum accurata cognitione tenendum sit, & quan-
tum

tum ab illa distemus, quisque conjicere facile poterit. Si porro omnes, tam in mundo corporeo quam spirituali eventus & omnem illorum nexum consideraverimus, patescit tandem, quantum sit illud quod nescimus, quotque Divinæ providentiae viæ & olim tuerint & nunc sint, imperviæ oculis mentis etiam acutissimæ. Eo minus dubitandum est, revelationem, quæ consilia Dei absturissima pandit ut miraculis ita & Mysteriis, esse refertissimam. De quorum convenientia & differentia nonnulla loco Exercitii Academici in medium proferre constituimus, si vero ob tenuitatem ingenii mei, quam lubens fateor ex sententia propositum exequi nequierim, Tuum Favorem gratiamque B. L. enixe imploro, velis operam nihilominus qualemcumque meam æqui bonique consulere, & in meliorem interpretari partem.

§. II.

Miracula sunt possibilia. Mundus enim cum sit ens contingens, quod per totum nexus rerum aliter esse potest, quicquid autem est contingens, ejus oppositum nullam involvit contradictionem: Quod autem nullam involvit contradictionem est possibile, ergo possibile est, a Causa extra mundana omnipotente in mundo tales effectus produci, qui effectibus hujus rerum nexus sunt oppositi, & in essentia & vi universi non fundati sunt, cum propter contingentiam mundi eventus aliter esse possint: Tales autem effectus vocantur miracula

cula, quæ proinde sunt possibilia & *intrinsece*, quia totus rerum nexus in universo ut contingens immutari potest & leges naturales suspendi, & *extrinsece*, quia datur talis extra mundum causa, quæ omnia infinita sua omnipotentia efficere potest. Hinc oppido patet nos per *miraculum* intelligere ejusmodi mutationem seu effectum, cuius causa in essentia & natura entium finitorum non invenitur. In divisione scriptores variant. Danhaverus dividit miracula in *privativa*, ubi omnibus ad agendum positis requisitis effectus impeditur. e. g. ignis fornacis ardoris viros injectos non consumens; vel *positiva* ubi viribus natura aliquid super inducitur ad quod naturæ virtus nunquam pertingere potuit. Leibnitius in sua Theodicea (§. 249.) distingvit illa in *Majora* & *Minora*, per *majora* intelligit vera miracula per *minora* id indigitat, quod alias mirabile vocatur, cuius causæ naturales nos latent. Eulfingerus in *immediata* & *mediata*. Nos autem quatvor illorum classes constitui-mus. *Prima* complectitur, miracula, quæ nullis caussis mediantibus naturalibus fiunt aut fieri possunt, sed immediate, & ex libera DEI virtute emanant, adeoque sunt effectus omnipotentiæ Divinæ Singulares. E. g. creatio mundi, mortuorum resuicitatio &c. *Secunda*, est eorum quæ produci quidem possunt in caussis naturalibus, sed non eo modo, quo a DEO fiunt, ut repentina morborum curatio nullis admotis medicamentis. *Tertiæ*

ria est, cum a caussis naturalibus proveniunt i-
ta tamen, ut DEUS virtutem eorum ordinari-
am adaugeat, ac sufficientiam illis, ea quam na-
tura concessit, majorem tribuat; ut maris rubri
exsiccatio per ventum pro transitu Israëlitatum.
Quarta est, quando per media naturalia fiunt,
etiam ad talē effectū edendum non insveta; non
tamen absque Divinæ voluntatis concursu singula-
ri, eo quo fiunt tempore producuntur. E. g. Ur-
forum missio contra pueros Prophetæ illudentes.
De natura miraculi alioqui tot existunt sententiæ,
ut suscep̄ta brevitas illas recensere minime permit-
tat. Notissimus ille summæ impietatis architectus
Benedictus Spinoza contendit miracula nihil aliud es-
se quam effectus naturæ, quorum caussas ignora-
mus. Cum illo plurimam partem consentiunt
Pomponatius, *Hobbesius*, *Bernhardus Connor* & *Lockius*.
Ad eos accedunt, qui per DEI virtutem miracu-
la quidem fieri agnoscunt, sed non nisi mediante
natura, utpote sunt *Nebemias Grew*, *Wilbelmus Fletwod*,
& alii. Quibus omnibus a præstantissimis Theo-
logis & Philosophis dædum os obturatum est. Tam
dui credendum est miracula in S. S. narrata, ve-
ri nominis talia fuisse, quam dui demonstrari ne-
quit, aut illa esse plene impossibilia, aut meros
tantum fuisse effectus naturales. Sed nostri non
est hanc rem ulterius persequi, sufficiat monuisse
nec miraculorum cessationem eorundem suggilla-
toribus favere; nam cum DEUS nihil faciat fru-
stra

stra, ad veritatem aliquam probandam miraculum novum excitare non vult, cum antiqua sufficient.

§. III.

Mysterii nomine intelligimus tale Dogma, quod Revelatione Divina patefieri debet, cum ex principiis rationis cognosci & demonstrari nequeat. Distingvi solet in Philosophicum & Theologicum. Mysterium Philosophicum vocant ejusmodi rem, quæ ad Regnum naturæ spectat, cujus quidem scimus existentiam, modum vero & naturam ignoramus. In communi vero sermone id Mysterium appellamus, quod nobis ab aliis revelatum est, & quod absque illorum revelatione cognoscere non possumus; ita dantur Mysteria in rebus Physicis, quæ cum ex principiis naturalibus detegi ab acutis Mathematicis & Philosophis possint, Divina revelatione non indigent. Notio autem Mysteriorum Theologica ab hac in eo discernitur, quod eo nomine solum illæ veritates veniant, quæ nullo modo quam per revelationem nobis innoscere potuerunt, simulque ad salutem Icitu necessaria sunt. Dogmata hæc nomen Mysterii etiam post revelationem factam retinent, tum quia in se & sua natura talia sunt, ut absque patefactione nunquam cognita fuisserint, tum quia non plus de illis dogmatibus manifestatum est, quam ad finem obtinendum sufficit,

cit, & multa in iis continentur, quæ nondum distincte cognoscimus; licet pars alicujus veritatis, clare revelata sit. Hinc liquet quod quicquid per Divinam revelationem innotescit, Mysterium sit; adeoque revelatio non possit concipi sine Mysteriis, Mysteria autem primum revelationis conceptum formant, adeoque ejus summam & essentiam constituunt.

§. IV.

HAUD pauci confundunt Mysterii Miraculique voces, unum idemque eas significare putantes, dum tamen plurimum differant; possumus quidem dicere: Omnia miracula esse Mysteria, sed non vice versa. Miraculum enim est effectus possibilis (§. 11.) omnem captum nostrum transcendens, fitque per DEI potentiam aut vim extraordinariam; adeoque, ratione *causæ* quidem *efficiētis* convenit cum Mysterio, DEUS enim est utriusque Auctor. Cujus est naturam condere; huius est ejusdem conditæ cursum quounque labuerit tempore suspendere vel immutare; cuiuslibet itidem, vel Angeli, vel hominis, vel nullo quoque uti ministerio. Quæ a malis geniis, Psevdo Prophetis, Magis, Veneficis, aliisque patrabantur *gæsus* seu mirabilia causas nonnisi naturales agnoscent, quæ licet vulgo ut plurimum ignotæ, eruditis tamen vel cognitæ sunt, vel indies magis magis.

magisque deteguntur. *Ratione finis*, qui est divinæ veritatis, bonitatis, gloriæque patefactio & demonstratio congruunt quoque Mysterium & Miraculum.

¶ §. V.

Sed non unumquodque Mysterium est Miraculum; sic e. g. præsentia realis corporis & sanguinis Christi in Sacra Cœna est secundum omnium Theologorum contentum Mysterium, non vero Miraculum, quod etiam Pfaffius affirmat dicendo: *Hinc protestamur semper, & solenniter protestamur, nos nullam præsentiam physicam, naturalem, localem, inhaesivam & circumscriptivam, neque etiam miraculosam* (*haec enim sic & inhaesiva & visibilis esset*) *corporis & sanguinis Christi in S. C. statuere.* Hoc & ejusmodi alia Mysteria ex principiis rationis demonstrari non possunt; tum enim non essent Mysteria, nec revelatione opus haberent (§. III), esset ergo contradicatio in adjecto, si venditaremus Mysterium ex ratione demonstratum; tamen non sunt contrarationem. Aliud enim est *contra*, aliud *secundum* & aliud *supra* rationem. *Contra* rationem est id, in quo ratio pugnam cum suis principiis perspicere potest. *Secundum* rationem est id, in quo ratio convenientiam cum suis principiis detegit. *Supra* rationem autem est id, in quo ratio neque pugnam neque convenientiam cum suis principiis perspicere potest, sed quod vires ejus prorsus transcendent.

Propterea non temere aliquid pro contradictrio habendum, quod forte tantum propter ignorantiam nostram tale videtur. Duas veritates, quarum altera revelata, altera natura nota, sibi invicem contradicere non posse, probat Celeb. CANTZIUS de usu Phil. in Theologia. Quod, inquit, si ratio fidei adversa foret: tum quaedam Philosophiae Theses invicta demonstratione nixae inimicis veluti cornibus configerent cum Theologiae capitibus; possent igitur Duæ Theses, sibi mutuo contradictentes, esse simul veræ. Atque hoc prima omnis humanae Divinaeque cognitionis fundamenta penitus everteret. Fieri igitur non potest, ut veritas a ratione profecta contraria sit ulla Revelationis articulo.

§. VI.

Hinc prono, ut ajunt, alveo sequitur, Mysteria, quatenus non sunt contra, sed supra rationem esse res possibles. Jam vero non omnes res possibles sunt effectus, nam dantur possibles essentiæ, E. g. Mysterium Trinitatis, possibilia attributa, ut omnipräalentia DEI, possibles substantiæ, accidentia &c. Consequenter multa existunt Mysteria, quæ tamen non sunt miracula, cum dentur res, quæ non sunt effectus, quorum nihilo minus possibilitas captum nostrum transcendent; & in hoc consistit prima differentiæ ratio. 2. Non omnes effectus sunt Miracula; sed tantum supernaturales; consequenter omnia ordinaria & naturalia

turalia rationi nostræ impervia Mysteria quidem dici possunt, non vero Miracula. 3. Miracula sunt DEI supernaturalia opera in Creaturis, dantur etiam opera DEI ad intra, ut generatio filii DEI a patre, quæ quidem est Mysterium sed non miraculum. Ut rem verbo complectamur: Differunt hæc duo ratione formæ. Formale Mysterii est in comprehensibilitas seu occultatio: Miraculi vero supernaturalitas & extraordinarietas, ut ita loqui liceat; quæ vocabula videntur quidem habere unam eandemque significationem, sed illam esse diversam, mox videbimus. Supernaturale enim non tantum id dicitur, quod ex unius alteriusve rei viribus naturalibus non sequitur; sed, quod ex omnium rerum creatarum adeoque totius naturæ viribus non sequitur; alias in mundo corporeo, supernaturale & miraculum diceretur effectus e. g. in corporibus per vim spiritus excitatus, adeoque omnia quæ libertatis determinationi subsunt, utpote quando homo lapidem projiciat, aut quando Dæmon indicante obfessione corporali in corpore humano motus efficit non naturales. Hoc etiam urget Musaeus in introd. ad Theol. Ad rationem, inquit, miraculi non sufficit, si aliquid fiat praeter ordinem naturae aliquius particularis, sed requiritur, ut fiat praeter ordinem totius naturae creatæ. Deinde supernaturale non tantum est, quod non potest fieri ex totius naturæ viribus, verum etiam quod ex viribus naturæ revera non sequitur, dum sequi posset. E. g. ex viribus

bus naturæ potest sequi, quod arbor exsiccat, miraculum tamen erat, dum ad mandatum Salvatoris ficus in momento sicca fuit.

§. VII.

Extraordinarium vero non modo dicitur quod raro fit aut insuetum est, sed quod transgreditur ordinem semel a DEO positum. Nam etsi id quod superat ordinem, etiam raro solet fieri, tamen non omne, quod raro evenit, sit contra ordinem. Priorem sententiam adoptaverat Clarkius in controversia illum inter & Leibnitium mota de *notione* miraculi. Existimabat nempe Leibnitius, secundum sententiam Philosophis receptam, per miraculum intelligi ejusmodi effectum, qui omnes naturæ vires superat. Clarkii vero sententia erat, quod miracula in se non sint magis admiranda, nec magis Divina, quam ordinaria naturæ opera; sed eapropter ab his distingvi, quod sint rara & insolita. Atque sic referente Bulsingero in usitatum sufficere putat ad ideam miraculi exprimendam; eundem namque effectum vocat *naturalem*, si accidat ordinarie, etsi Divina immediata operatione, & *miraculosum* si raro, etsi producatur per naturam. Sed hac sententia janua aperitur iis, qui aniles fabulas, & inania commenta innumerâ pro miraculis obtrudere orbi adlaborant, qualium tristis copia historiam imprimis ecclesiasticam milere conspurcavit; præcipue vero uberrima seges, infelicis instar loli, in agris Monachorum & vitis Sanctorum effloruit.

§. VIII.

S. VIII.

ORDO ille a DEO positus cuius mentionem §.
præc. fecimus est duplex Naturæ & Gratiæ.
Ille iterum dupplici consideratur modo, alius nempe
in mundo corporali, alius in spiritibus, præcipue
vero in animabus nostris. Per ordinem naturæ
in mundo corporali intelligimus semel præscriptas
leges motus, secundum quas corpora operantur.
Ordo autem naturæ in animabus sunt illæ regu-
læ, secundum quas animæ suis facultatibus ope-
rantur, dum cogitant, ratiocinantur, volunt, ap-
petunt &c. Per ordinem Gratiæ intelligimus aut
ordinem salutis, quando homo Gratiæ Divinæ &
Salutis vult particeps fieri, aut ordinem operationum
Gratiæ, secundum quem Deus hominem ad ejusmodi
ordinem salutis dicit aut sustentat, aut ordinem dono-
rum Gratiæ, secundum quem DEus hominibus gratiæ
suæ dona co[m]unicat. Quando igitur aliiquid ordinem
naturæ superat, id vocamus *philosophice* extraordinariū
sed quando aliiquid ordinem Gratiæ superat, id est
Theologice extraordinarium. Hinc facile est judicatu
quid statuendum sit in quæstione non leviter diffi-
cili & tatis diu ventilata, an Regeneratio & reli-
quæ operationes Gratiæ, quæ omnium judicio ve-
niunt nomine Mysterii, sint Miracula? Affirmat
Theologus quidam magni nominis & quidem ex
verbis Apostoli Eph. I. 19. seqq. τὸ ὑπερβάντον μέγε-
θος τῆς δύναμεως αὐτῷ κατὰ τὴν ἵστησιν τὸ κράτος τῆς
ἰσχύος αὐτῷ. Et profecto Regeneratio per effe-
ctum

Etum naturalem sequi non potest, sed vires animæ prorsus excedit, est porro creatio & ex mortuis suscitatio, adeoque etiam vires universi excedit, talis autem effectus miraculum dicitur: E. Regenerationem & reliquas operationes Gratiae Divinæ esse miracula non sine aliqua distinctione praedicamus. Nam omne quod supernaturale est, est etiam extraordinarium sensu Philosophico, non vero Theologico; quod iterum extraordinarum est aut Philosophice aut Theologice, id etiam revera est supernaturale; per consequentiam sunt omnia miracula, in mundo corporali simul supernatura & extraordinaria Philosophice non vero Theologice. Extraordinariæ operationes DEI in anima: E. g. immediata Prophetarum inspiratio, Ecstasis Pauli in tertium cœlum sunt supernaturales & simul extraordinariæ tam Theologice quam Philosophice, & ideo vocantur *ναθ' εξοχὴν* miracula in Regno Gratiae. Sed ordinariæ operationes Gratiae vocantur miracula Philosophice; quoniam naturæ leges in anima superant; non Theologice, quia Gratiae ordinarias vires ordinemque non excedunt. Plura circa hanc tam amplam materiam adhuc quidem essent monenda; sed ob nimiam temporis angustiam fortunæque afflictæ conditionem hisce subsistit.

*Gloria sit Patri, Sit Nato Gloria, Sancto
Gloria Spiritui: Triadi sit Gloria Sacra.*